

**Ernestus Godofredus Baldinger ... disputationem inauguralem ... Ioan. Conr. Stockar à Neuforn ... de usu cantharidum interno ... habendam annunciat. Praemittitur: historia mercurii et mercurialium medica, et nunc quidem eius pars III.**

### **Contributors**

Baldinger Ernst Gottfried, 1738-1804.  
Royal College of Physicians of Edinburgh

### **Publication/Creation**

Goettingae : Litteris Ioann. Christ. Dieterich, Acad. Typogr, [1781]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a7dbpyg3>

### **Provider**

Royal College of Physicians Edinburgh

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

ERNESTVS GODOFREDVS  
BALDINGER,

ORD. MED. GOTTING. H. T. DECANVS,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

VIRI GENEROSISSIMI

IOAN. CONR. STOCKAR A NEVFORN,

SCAPHVSA HELVETII,

CANDIDATI ERVDITISSIMI, IDEOQVE  
DIGNISSIMI,

DE

VSV CANTHARIDVM INTERNO

D. XIX. MARTII MDCCLXXXI.

HABENDAM

ANNVNCIAT.

---

PRAEMITTITVR:

HISTORIA MERCVRII ET MERCVRIALIVM  
MEDICA,

ET NVNC QVIDEM EIVS

*Pars III.*

---

---

GOTTINGAE,

Litteris IOANN. CHRIST. DIETERICH.

ACAD. TYPOGR.

JAMES EARL RAY

MEMORANDUM

TO : SAC, MEMPHIS (44-1987)

FROM : SA [Name], MEMPHIS

SUBJECT: [Subject]

RE: [Reference]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

[Text]

R54631

---

**R**ecensui nuper pharmaca mercurialia simplicissima, quae sola fere mixtione et trituratione obtinentur. Iam vero recensenda veniunt seorsim *sulphureo-mercurialia* illa, *Aethiops* scil. *vulgaris*, *antimonialis* et *variae cinnabaris* species. Notatu autem dignum est, cinnabarim factitiam per aliquot saecula iamiam medicis in usu fuisse, antequam aethiopem vulgarem in medicamentorum numerum reciperent. Arabis iamiam fuisse notam cinnabarim factitiam, nullum est dubium *a*), et cinnabarim antimonii *Basilium Valentinum* iamiam descripsisse certum est *b*).

Aethiopem mineralem, vulgarem, primum adhibuisse THEODORVM TURQVETVM DE MAYERNE perhibent *c*). Tradidit autem in libro, typis saepius exscripto, *Praxis medica*, methodum conficiendi aethiopem mineralem *per ignem*. Sumebat mercurii partem vnam, sulphuris duas, et tamdiu super igne mouebat massam, donec non amplius sulphur appareret. Eadem methodo GEORGIVS BATE' aethiopem parauit. Destrui sulphuris adiecti partem superfluum per incendium, vix est, quod moneam. Deinde GVALTHERVS HARRIS, in libro de infantum morbis sola *trituratione* sulphur et mercurium miscuit. Hydrargyri partes qua-

A 2

tuor

*a*) v. Ill. SPIELMANNI *Inst. Chem.* ed. alt. Arg. 1766. p. 247.

*b*) v. SPIELMANN. l. c. p. 248.

*c*) v. SCHROMMIVS. Io. Fr. aut potius auctor I. H. SCHVLZE, vic eruditissimus, in *diff. de Aethiope minerali*. Alt. 1725.

tuor, florum sulphuris partes tres, ille iubet trituratione longa miscere.

Alii denique aliam proportionem miscendorum praescribere. Sed parum refert, nominasse omnes, cum tanta sit rerum dicendarum copia, vt breuitatis ratio sit habenda. Neque nimis parca, neque nimia sit proportio sulphuris ad mercurium, obseruandum erit. Nec sulphuris deflagratio requiritur, sola enim sulphuris liquatio ad ignem sufficit, modo nimia non sit sulphuris copia, nam solummodo pars superflua deflagratione consumi debet.

Longe maior autem portio mercurii cum sulphure liquato potest misceri, quam sola trituratione si adhibeatur. Etenim fusione sulphuris mercurii partes septem, trituratione sola nonnisi partes tres mercurii possunt iungi.

Hepar sulphuris, tam fixum, quam volatile, dat cum mercurio via humida, Aethiopem mineralem, et sublimatione veram cinnabarim. Ex mercurio sublimato et hepate sulphuris etiam obtinetur Aethiops mineralis *d*).

Hepar sulphuris aliaque mercurialia, sc. Turpethum, solutio mercurii in acido Nitri, et mercurius praeparatus ruber, si iunguntur, prius aethiopem, dein sublimatione cinnabarim largiuntur.

Ex parte sulphur omnino mercurium soluit, hinc aethiops calcis mercurii speciem sistit, et color eius vetustate temporis tandem magis niger euadit *e*).

Ae-

*d*) BAVME', Experim. Chym. Th. 2. S. 482.

*e*) BAVME', l. c. p. 508.

Aethiopsis mineralis antimonialis  $\text{HVXHAMI}$  praeparatio haec est: Antimonii crudi in puluerem tenerrimum conuersi, partibus tribus admiscetur mercurii viui partes quatuor, et florum sulphuris partes duae.

Triturationis diu continuatae beneficio, haec omnia exacte satis miscenda sunt.

Sulphur adiici debet, cum antimonium sulphure non adeo diues, vt cum mercurio exhibeat aethiopem genuinum.

Est itaque  $\text{HVXHAMI}$  medicamentum nil aliud, quam aethiops vulgaris, cui praeter mercurium et sulphur simul partes antimonii regulinae admixtae sunt.

Quis vero laudes ignorat, quas  $\text{HVXHAMVS}$  medicamento suo tribuit.

Interim tamen monendum est, obseruasse nuper Cl.  $\text{MARCARD f)}$  ptyalismum, non sine aegroti periculo, a dato aethiope  $\text{HVXHAMI}$  per aliquot dies, cuius dosis erant scrupuli duo quotidie. Res mira est omnino, mercurium sulphuris ope sic figi, vt nunc possit sublimari sine magno dispendio, vase etiam non clauso, sed orificio phialae leuiter tantum obturato charta, et vim sialalogam mercurii per additionem sulphuris fere prorsus coerceri.

Sunt enim exempla valde rara, ptyalismum siue ab aethiope, siue a cinnabari, fuisse obseruatum. Aethiops et cinnabaris fautores inuenerunt multos, qui magnis laudibus extulere vires vtriusque medicinae, resoluentes inprimis, sanguinem ac lympham purificantes, hinc in morbis potissimum chronicis, scabie vul-

A 3

guri,

f) V. ei. annot. ad THOMPSONI consult. med. p. 263.

gari, venerea, vlceribus, tinea, glandularum obstructionibus, vermibus, vt centum alios morbos taceam, aethiopem laudarunt.

Ad peritiam suam prouocat b. NEVMANN g) se eximium effectum vidisse ab vsu aethiopis vulgaris, larga dosi ad drachmam vsque dimidiam.

Sed Ill. TRILLERO, fautori nostro ab annis inde viginti, valde displicet aethiops vulgaris h), illumque iunioribus lac adhuc fugentibus infantibus pessime nocere contendit.

ELLERVS magni fecit suo tempore aethiopem antimoniam, in ipsa lue venerea, cancro etiam occulto et exulcerato. Ego vero, vt verum fatear, testor, me nunquam noxios effectus ab vsu vtriusque aethiopis vidisse.

Insignem, ne dicam incredibilem, copiam vtriusque aethiopis, cum Longosalissae olim, tum Gottingae nuper, ab A. 1773 aegrotis meis praescripsi, et testes prouoco tot sodales instituti Clinici, e quibus nominare potuissem septem Professores, qui nunc cum laude publice artem suam profitentur, quique viderunt mecum, vsu inprimis aethiopis HVXHAMI, sanatos fuisse morbos admodum rebelles, tineam capitis, scrophulas, vlcera foeda, strumas, atrophiam, scabiem variam, oculorum morbos, et vermes expulisse istud remedium magna copia, et cachexiam verminosam prorsus profligasse.

Istud vero simul monendum habeo, me vix vnquam eius generis medicamentum praescripsisse, nisi dato prius euacuante, ad sordes primarum viarum eliminandas, acidorum vsu interdixisse,

g) Praelect. Chym. ex ed. Cl. ZIMMERMANN p. 503.

h) Dispens. vniv. T. II. p. 8. sq.

dixisse, atque simul ptisanam quandam, siue ex bardana, s. rad. graminis vel simili, praescripsisse. Nunquam vidi ptyalimum ab vsu aethiopis, qui tamen saepius a parcissimo vsu spiritus mercurialis SWIETENII vehementiorem ptyalimum obseruauit.

Nolim itaque ego pro inerti medicina aethiopem, ΗΥΧΗΑΜΙ imprimis, declarare, quem e contrario damnarunt alii, tamquam medicamentum noxium.

Iam *Cinnabaris* tres species, sc. *natiua* et *factitia*, nec non *antimonii*, pariter factitia, nostram attentionem merentur.

Quaestio olim mota fuit, vtrum tuto satis *natiua* possit interne sumi *i*). Plurimorum autem consensu factitia prae *natiua* laudes meretur.

*Natiuam* ex vana opinione magis efficacem reddere, longa circulatione, proposuit olim CLAUDERVS *k*). Fuit commentum alchymicorum, cinnabarim antimonii, quae aliis placuit, praestantior esse vulgari factitia, et chemici omnes recentiorum temporum consentiunt, nullum plane discrimen esse, vtrum vulgaris, an vero antimonii, adhibeatur in praxi medica *l*). Sulphur enim  
anti-

*i*) Hoffsteter, Johann Adam, ob der natürliche und rein gewachsner Zinnober, als eine Arznei in dem menschlichen Leib ohne Gefahr gebraucht werden könne. Leipz. 1708. 4t. et eod. anno 8vo sed breuius. Ei, die vortrefliche Güte des natürlichen jedoch rein gewachsenen Zinnobers, entgegenesetzt Joh. Gottfr. Beckern, — daß dieser Zinnober recht gebraucht, ein ganz unschädliches und nie genug gepriesenes Medicament sey. Schleswig. 1711. 4t.

*k*) CLAUDER, GABR. inuentum Cinnabarinum, hoc est, de Cinnabari *natiua* hungarica, longa circulatione in maiorem efficaciam fixata et exaltata. Ienae. 1683. 4.



antimonii non differt a sulphure communi, et neutiquam auri quidquam continet.

Pro cinnabari conficienda non eadem proportio sulphuris et mercurii, quam in aethiope minerali requiritur. Etenim sulphuris longe minor sufficit, immo praestat minimam sulphuris copiam mercurio addere, nam quo minor sulphuris, et quo maior mercurii portio, eo melior cinnabaris species sublimatione iungitur obtinetur, coloris nempe pulcherrimi, nam varia omnino proportio miscendorum, sistit cinnabarim. STAHLIUS in Chemia ad septem partes mercurii sufficere vnam sulphuris, docuit,

Sed cum parte nona sulphuris pulcherrimam cinnabarim obtinuit b. NIETZY, vir in chemia exercitatissimus m).

Quodsi vero maior sulphuris copia sumatur, tunc obtinetur *mercurius violaceus Parisiensium*, sc. cinnabaris factitia, ob maiorem sulphuris admixti copiam nigrescens n).

Non multum differt *Mercurius diaph.* Cl. ASTRUC, scil. Aethiopsis et salis ammoniaci partes aequales per sublimationem mixtae.

Ex calcibus mercurii variis, sine sulphuris additione cinnabarim obtineri, mirum non est. Totum enim artificium eo redit,

vt

l) v. BOECLER diff. de Cinnabari factitia vulgari, cinnabari nativae et antimonii non solum aequiparanda, sed et praeserenda. Arg. 1749.

m) v. Ei. diff. de Cinnabari ex calcibus mercurialibus conficienda, sine sulphure iisdem admiscendo. Hal. 1761. p. 10.

NEVMANNVS, l. supra cit. p. 462. ex mercurii p. 4. et sulph. vna, cinnabarim bonae notae obtinuit.

n) v. TRILLER Disp. univ. P. 2. p. 404. Habet Fl. sulph. p. 4. merc. p. 6. salis ammon. p. 4.

vt addantur substantiae, ex quarum connubio statim nascitur hepar sulphuris. Sal mirabile scilicet prius in retorta tubulata in fluorem redigi debet, tunc addantur per vices miscelae ex turpetho minerali et carbonibus, aut tartaro crudo, aliquot portiones o).

Perhibent chemici in academia Diuionensi, ex sulphuris parte vna, mercurii partibus quatuor, aethiopem fusionis ope paratum, cum hepate sulphuris volatili intra spatium temporis horae dimidia, dedisse cinnabarim pulcherrimam p).

Idem experimentum antea iamiam fecit BAVME' q) sc. absque igne per hepar sulphuris, tam fixum, quam volatile, veram cinnabarim parauit, licet non tam breui temporis spatio.

Sed omnino NEVMANNVS in Germania suo tempore docuit cinnabarim sine igne conficere, ex spiritus fumantis BOYLE vnica dimidia et mercurii viui drachma dimidia, sola mixtione et vitri agitatione r). Cl. WIEGLEB, de cuius amicitia laetor, per spiritum *Beguini*, cuius praeparationem emendauit, sine igne docuit cinnabarim conficere s).

Experimenta illa, quae nuper facta super cinnabaris absque igne confectione, leguntur in libro vtilissimo infra nominato t).

Vnde

o) vid. b. NIETZKY in diff. cit. p. 14.

p) v. Anfangsgründe der theoret. und pract. Chym. u. s. w. ex vers. Cl. WEIGEL B. 2. S. 33.

q) l. c. p. 519.

r) l. c. p. 462.

s) v. Ei. kleine chym. Abhandl. p. 37.

t) Taschenbuch für Scheidekünstler u. s. w. für 1780. Weimar. S. 166.

Vnde vero cinnabaris color ruber, isque pulcherrimus, quaestio est nondum decisa. Cinnabaris sublimatio, quae Amstelodami hodie usitata, descripta legitur apud Cl. FERBER *u)*, qui modeste simul aliorum errores correxit. Fraude et cinnabari omnino admiscetur minium, Colcothar vitrioli, vel Crocus martis, num vero arsenicum album ad augendum colorem cinnabaris addere soleant, non ausus est definire Cl. FERBER.

Calcem plumbi aut Colcothar vitrioli, noua sublimatio aut incensio cinnabaris in crucibulo candente, manifestare solet, nam remanet calx plumbi et colcothar vitrioli, et sola cinnabaris au- fugit. Proderet odor alliaceus sine dubio arsenicum, vt alia ta- ceam experimenta, quibus vulgo cognoscitur arsenicum.

Sublimatione cinnabaris repetita, hanc non emendari, sed destrui potius, bene monuit BAVME *x)*, hinc vnica operatione rite instituta omnium optime sublimatur.

Trituratione diu continuata, colorem cinnabaris augeri, notissima res est. Fortassis latent nos multa, quae Batauis in vsu sunt, adminicula, quod ipse concedit Cl. FERBERVS, qui candore et veri amore cedit nulli.

Iam paucis de cinnabaris usu, quem olim ex vana opinione pereximium credere, hodie vero non multi magni faciunt. GODFREDVS SCHVLZIVS in libello singulari *y)* de amplissimo cinnabaris

*u)* l. c. pag. 338. et sequ.

*x)* l. c. p. 522.

*y)* Scrutinium cinnabarinum, etc. Hal. 1680. 8vo.

nabaris vsu in praxi medica disputavit. De ptyalismo per suffi-  
migium ex cinnabari incensa legi debet **ASTRUC**.

Ineptae sunt certe omnes formulae, in quibus olim cinnabarum princeps ingrediens erat. Huc pertinere credo pulverem cephalicum **MICHAELIS**, temperantem **STAHLII**, cordialem Cellensem, immo pulverem s. specif. **COBBII** contra hydrophobiam; nam vires certe, si quas habent, admixtis aliis debent, non cinnabari. Inertiam cinnabaris accusavit **CARTHEUSERVS** *z*). Solui ab humoribus nostri corporis, per experimenta demonstrare annisi sunt **WALLERIVS** *a*) et **OETINGER** *b*). Sed licet verissima sint experimenta, solui extra corpus humanum cinnabarum a menstruis variis, sola tamen coniectura est, solui etiam interne sumtam, nec vllum fide dignum experimentum mihi quidem innotuit, cinnabarum vires habere neruinas, antispasmodicas, quas a multis decantatas lego.

Nec optimi mei praeceptoris **b. MANGOLDI**, quem in chemia praeceptorem habuisse, hodie adhuc laetor, tentamina me vincunt *c*).

Credat, qui velit, laudes cinnabaris, quas illi tribuit **IOS. DALBY** *d*). Sed filum hic abrumpere iterum cogor, reliqua

B 2

pro-

*z*) in diss. de Cinnabaris inertia medica Frft. 1743. recus. in Ei. Collect. disp. ib. 1775. 8vo.

*a*) **WALLERII** diss. pro Cinnabaris efficacia, recusa legitur Vol. I. Sylloges nostr.

*b*) diss. Cinnabaris exul, redux in pharmacopolium. Tub. 1760.

*c*) in Act. Ac. Mog. T. II. p. 402. sq.

*d*) on the virtues of cinnabar and musk, against the bite of mad. dog. Birmingham 1764. v. Götting. Anz. 76 St. 1766.

propediem dicturus. Audiamus enim Vitam Candidati eruditissimi.

Ego, ait, IO. CONRADVS STOCKAR A NEVFORN, natus sum Scaphusiae, libera Helvetiae ciuitate, anno post Christum natum MD CCLVII. die IV. Dec., patre IOANNE CONRADO, matre VRSULA, nobilis a ZIEGLER filia. — Parentes, cum puero adhuc mihi sinistra fortuna eripuisset, acerbissimam iacturam summo studio leniuit, patrisque vicem singulari caritate impleuit patruus amabilissimus, mihiq̄ aeternum venerandus, GEORGIUS STOCKAR A NEVFORN. Cuius etiamnum superstitis, optimeque de me merentis, cura et opera factum est, ut paullo post patris excessum praestantissimis, qui tum Gymnasium Rhaeticum regebant, Viris, M. PLANTAE et P. NESEMANNO, in disciplinam traderer. Ab his Haldenstenii primum, post, ubi Illustrissimus Vir, VLYSSES A SALIS, Augustissimi Galliarum Regis ad spectabilem Rhaetiae ciuitatem Legatus, cuius eximiam humanitatem atque indulgentiam nunquam non venerabor, anno MD CCLXXI. Gymnasium illud in suam ipsius sedem transtulerat, Marschlini iis litteris sum imbutus, quibus puerilis aetas ad altiores disciplinas praeparari solet. Ab. MD CCLXXIII. in patriam reuersus, et a patruo amantissimo ad Doctissimum ALTORFERVM, Ecclesiae Buchanae in agro Scaphusensi tum Pastorem, nunc Professore in Gymnasio Scaphusensi meritissimum, amandatus, curaeque eius et institutioni commissus, per annos duo cum ad alias litteras, tum maxime ad Historiam et Philosophiam incubui. Hic primum studio medico me dicare cum cupiuissem, patruoque id ostendissem,

huius

huius gener eruditissimus. mihiq̄ue carissimus, GEORGIUS STOKAR A NEVFORN, *Doct̄or Medicus*, salutarem artem Scaphusiae optimo publico fac̄litans, auct̄or fuit, ut Tigurum ablegarer, ubi in aedibus Clarissimi Medici, IO. HENRICI RAHNII, triennium degens cum maximis ab eo officiis deuinctus, tam ad Physiologiam, Pathologiam, Materiam Medicam, Therapiam denique et Generalem et Specialem summa cura adductus sum. Ibidem scholas Physicas, ab Ill. IO. GESNERO publice habitas, ipsoque humaniter concedente, Societatis, Naturam indagantis, concilia, Hortumque Botanicum diligenter frequentavi. Physicam, quae quidem in Experimentis versatur, secretioribus Cl. BREITINGERI praeceptionibus luculenter expositam audiui. — Denique sollertissimo BURKHARDTO, Anatomem priuatim tradenti, assiduam per tres hie-mes operam dedi. — Superato iam utilissimae disciplinae veluti limine, eo pergere antiquissimum habui, ubi ad ipsa eius penetralia pateret aditus. Itaque Ao. MDCCCLXXVIII. ineunte autumnno, in Georgiam Augustam, Academiaram Germaniae facile principem, profectus, et a Venerabili KVLENKAMPPIO Prorectore tum Magnifico, ciuibus academicis adscriptus, medicas maxime scholas celebraui. Et illustri quidem BALDINGERO, cuius insignem humanitatem, facilitatemque gratissimo semper animo recordabor, praec̄ptore usus sum in Pathologicis, Semioticis, Therapeuticis, Materia Medica et Historia Medicinae Litteraria. Itemque Clinicis eius institutionibus interfui, atque eiusdem auspiciis ad lectulos aegrotorum frequenter, nec unquam sine fructu, accessi. — Equitem Auratum, Illustrem MURRAY, ut per binas aestates Botanica:

ita et Compositionem Medicamentorum et Infantum Morbos diligenter, ut solet, explicantem audiui. — Medicinam Forensam, Anatomem atque Artem Obstetriciam doctissima pariter, et suavissima Illustris WRISBERGII disciplina percepi. — Illustrem Archiatrum, RICHTERVM, in Therapia Speciali, Chirurgia tam medica, quam proprie dicta, Diaeteticis item, et de Capitis, Ossium, Oculorumque morbis doctrina, magistrum mihi obtigisse, summo opere laetor. Chemiam eam, quae Experimenta persequitur, planissime traditam accepi a Cl. GMELINO. Historiam Naturalem cum uniuersam, tum speciatim Hominis, iucundissime et utilissime enarrantem auscultavi Cl. BLUMENBACHIVM. Physicam Cl. LICHTENBERG me docuit, Psychologiam Cl. MEINERS. In Mineralogia et Oeconomia doctor fuit Cl. IO. BECKMANN. Postremo Cl. STROMEYERI institutum, quaestiones medicas ad dissoluendam proponenti, in usum conuertisse, profuit plurimum.

Haec sunt, quae de vita laudabili nobiscum communicauit Vir Generosiss. et eruditissimus, qui non solum apud nos animi candore, ingenuis moribus, vitae integritate, singulari discendi cupiditate, laudabilique studio, ac humanitate, sese ingenuum Heluetum esse, satis abunde commonstrauit, sed et insigni et praeclara eruditione nobis innotuit.

Summo iure itaque nunc summos in medica arte honores expectat, et quidem die XIX. Martii, habita prius solenni disputatione

tionem de usu *Cantharidum interno*. Ego vero, nunc medicorum ordinis interpres, rogo, ut Magnif. Acad. Pro - Rector, Illustrissimi Comites, Prof. Celeb. Generosiss. ac Nobiliss. Cives Academiae, omnesque, qui litteras amant, hunc actum praesentes condecorare velint.

P. P. Gottingae d. XVIII. Martii MDCCLXXXI.

(L.S.)



This is a copy of the original manuscript of the  
 paper by J. H. Van Vleck, published in the  
 Journal of the American Physical Society, Vol. 17,  
 No. 1, p. 15, 1924. The original is deposited  
 in the University of Chicago Library.

J. H. VAN VLECK

